

nit toti ratione partium, non solum convenit toti, sed etiam partibus. Sed Deitas non prædicatur de partibus humanæ naturæ (non enim dicimus, quod anima sit Deus, vel quod corpus sit Deus) prædicatur autem de toto cum dicimus Deum hominem esse. Ergo cum per assumptionem humanæ naturæ prædicetur Deus de homine, & è converso, videtur quod partes non assumpserit nisi mediante toto.

2. Præterea. Alia est singularitas uniuscujusque partis hominis, & singularitas divinæ personæ, vel incommunicabilitas: quia partes sunt plures, sed persona assumens una est. Est autem eadem singularitas personæ assumentis, & totius hominis: quia eadem est hypostasis utriusque, ut dicit Damascenus (ubi supra.) Ergo videtur quod partes non assumpserit nisi mediante toto.

3. Præterea. Creatura cui est unita Divinitas, debetur honor patriæ, ut infra dicitur dist. 1x. quæst. 1. art. 2. Sed aliquibus partibus corporis Christi, si essent separatæ, non deberetur honor patriæ. Ergo partibus separatæ à toto non est unita Divinitas. Ergo non est unita partibus nisi mediante toto.

4. Sed contra. In morte Christi Divinitas partibus hominis, scilicet corpori, & animæ, unita mansit. Sed tunc ex partibus, cum conjunctæ non essent, totum non constabat. Ergo non assumpsit partes mediante toto.

5. Præterea. Quidquid convenit parti, & toti, per prius convenit parti quam toti. Sed dicimus humanam naturam assumptam esse, & similiter partes ejus, scilicet animam, & carnem. Ergo per prius assumpsit partes quam totum; & ita non partes mediante toto assumpsit.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod est duplex medium, scilicet congruentiæ, & necessitatis. Medium congruentiæ est quod facit ad decentem conjunctionem extremorum, quæ tamen nihilominus sine illo esse posset; sicut pulchritudo facit ad decentem conjunctionem matrimonii, quæ tamen amissa, matrimonium non solvitur. Medium autem necessitatis est sine quo conjunctio extremorum esse non potest, sicut lumen conjungitur aeri mediante diaphanitate. Hoc tamen contingit dupliciter: quia vel est causa conjunctionis, vel est ad conjunctionem consequens. (1) Conjunctionis causa est medium, sicut aqua, & aer in visu: quia per aerem redditur species visibilis ipsi usui. Consequens autem conjunctionem est quod ex conjunctorum dispositione causatur; sicut aer, vel aqua est medium in tactu: propter hoc oportet extremitates corporum se tangentium humiditas esse, & ita oportet humiditatem aliquam intermedium esse. Medium autem quod est causa conjunctionis, est duplex: quia vel conjungit effective, sicut homo reconcilians inimicos, dicitur medius inter eos: vel conjungit formaliter, sicut amor conjungit amicos, ut medium quoddam inter eos. Sed utrumque horum adhuc dupliciter contingit: quia medium necessitatis vel causa conjunctionis est in actu, ut patet in vinculo quo aliqua colligantur: vel est causa conjungibilitatis, sicut siccitas in lignis causat conjungibilitatem ad ignem.

Hic igitur visis, ad primam quæstionem dicendum, quod anima est quodammodo medium quo corpus

(1) Nicolai: Conjunctionis causa est medium quod ad conjunctionem disponit, vel ad eam perficiendam confert, sicut aqua, &c.

Divinitati unitur. Sed sciendum, quod si anima comparatur ad unionem in actu, est medium congruentiæ tantum: non enim decet ut divinitas corpori uniat, nisi habeat animam: tum quia est Deo propinquior: tum quia pluribus modis est Deo unibilis quam corpus, quia etiam per gratiam, & gloriam: tum etiam quia corpori unitur propter reparationem animæ. Si vero comparatur ad unibilitatem, sic est medium necessitatis, sicut causans formaliter unibilitatem in corpore: non enim corpus est unibile servato ordine ad finem unionis (secundum quod creatura rationalis præ aliis assumptibilis dicta est) nisi per hoc quod particeps est imaginis Dei mediante anima: unde corpora inanimata unibilia non sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod si tollatur medium, quod est causa conjunctionis in actu, necesse est unita dissolvi; sicut substracto amore, hominum corda ulterius unum non erunt: semper enim ablata causa aufertur effectus. Substracto tamen medio congruentiæ, quod ad decentiam unionis faciebat, non est necessarium unita dissolvi. Similiter autem non est necessarium ut si tollatur medium, quod est causa conjungibilitatis, unio dissolvatur: potest enim esse ut causet conjungibilitatem etiam postquam abscesserit, dummodo remaneat ordo, & possibilitas ad ipsum: quia forte conjunctio actualis medii non est causa conjungibilitatis ad extremum, sed potius conjungibilitas medii: sicut actualis consideratio principiorum est medium quo habitus conclusionum acquiritur, non tamen transeunte actuali consideratione principiorum, transit habitus conclusionis, eo quod adhuc manet habitus ad considerandum principium. Unde cum anima sit medium congruentiæ, & causans unibilitatem in corpore, non oportet quod abscedente anima conjunctio Divinitatis ad carnem dirimatur: quia adhuc remanet in corpore habitus, & ordo ad animam, ratione cujus remanet in carne convenientia unionis, & unibilitas ad Divinitatem.

Ad secundum dicendum, quod aliqua duo possunt esse magis conjuncta quam alia dupliciter. Vel quia pluribus modis conjunguntur; & sic anima magis unitur carni quam Deitas, quia anima est forma ejus; & hoc modo est medium formaliter unibilitatem in ipso causans: vel quia fortiori vinculo conjunguntur; & sic Deitas magis unitur carni quam anima, quæ unitur ei naturali unione, propter quod separabilis est; Divinitas autem unitur carni per gratiam increatam, quæ immutabilis est, & ideo illa unio nunquam separatur.

Ad tertium dicendum, quod creatura ex seipsa receptibilis est divini influxus in ipsam: & ideo non indiget medio quod faciat eam possibilem ad hoc quod Deus in ea sit per essentiam, præsentiam, & potentiam: neque etiam indiget medio congruentiæ, quia decentissimum est ut creatura à Creatore non deseratur. Similiter etiam anima secundum sui naturam capax est Dei; corpus autem non est assumptibile per naturam corporis, sed in quantum est perfectum anima rationali: & ideo non est simile.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod secundum Augustinum XII. super Genes. (cap. vii.) spiritus multipliciter dicitur. Uno modo ipsum corpus subtile, ut aer. Alio modo corpus animæ omni-

no subjectum, sicut corpora sanctorum in resurrectione. I. Cor. xv. Tertio modo qualibet anima brutorum: Eccle. iiii. *Quis novit... si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quarto virtus imaginaria: I. Corinth. xiv. 15. *Psallam spiritu, psallam mente.* Quinto ipsa mens hominis, vel Angeli: Ephes. iv. 23. *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Sexto ipsa divina substantia: Joan. iv. 24. *Spiritus est Deus.* Nunc autem loquimur de spiritu secundum quod pro mente ponitur. Unde dicendum, quod Divinitas mediante spiritu animam assumpsit, sicut anima mediante corpus; sicut enim corpus non est assumptibile nisi per hoc quod habet animam, ita anima non est assumptibilis nisi per hoc quod mens in ea est, per quam imaginem Dei habet.

Ad primum ergo circa hoc objectum dicendum, quod ratio illa procedit ex æquivocatione spiritus, ut ex dictis patet.

Ad secundum dicendum, quod quamvis spiritus, idest mens, non differat ab anima per essentiam, nisi mens dicatur potentia animæ, quæ quodammodo ab anima per essentiam differt, sicut proprietas à subjecto; tamen anima non ex hoc quod est anima, assumptibilis est modo prædicto, sed ex hoc quod mentem habet: & ideo mens est medium in anima assumptibilitatem causans.

Ad tertium dicendum, quod quamvis forma materialis non possit esse sine materia, tamen materia non dat esse formæ, sed è converso: ita etiam quamvis spiritus carni non unitus assumptibilis non sit, magis tamen spiritus causat assumptibilitatem in corpore quam è converso.

Alia duo concedimus.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod partes originaliter sunt priores toto, quasi constituentes, ipsum; totum autem complete est prius partibus quia ratio naturæ completæ invenitur prius in ipso toto, & ad partes ejus pervenit mediante toto, in quantum ejus partes sunt: unde etiam sunt in genere per reductionem. Et ideo dicendum est, quod quodammodo mediantibus partibus assumpsit totum, in quantum scilicet partes originaliter humanam naturam constituunt, cui per se assumptio debebatur; quodammodo autem partes mediante toto (1), in quantum ratio humanæ naturæ, quæ per se assumptibilis est, per prius invenitur in toto, & per hoc in partibus.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis de partibus humanæ naturæ Deus non prædicetur, tamen partes illæ causant originaliter assumptibilitatem in toto, sicut homo dicitur animal, non autem corpus, vel anima dicitur animal, quamvis ex corpore, & anima causetur in homine quod animal sit.

Ad secundum dicendum, quod est duplex singularitas scilicet singularitas naturæ, ut hæc humanitas, & singularitas subsistentis in natura, ut hic homo. Non autem est facta unio in singularitate naturæ, quia natura inalterabiliter unitæ sunt, sed est facta unio in singularitate personæ subsistentis in natura, quia idem Christus in utraque natura subsistit. Singularitas autem partium, in quantum partes sunt, ad naturam pertinet: & ideo non est eadem singularitas partium hominis, & Dei; sed est eadem persona hominis, & Dei: nec tamen sequitur quod partes

In III. Sent. Tom. III.

(1) Consule III. Part. quæst. vi. art. 5. ubi paullo aliter.

non causent assumptibilitatem in toto.

Ad tertium dicendum, quod in omnibus partibus quæ sunt de veritate humanæ naturæ, etiam separatæ, manet ordo ad totam naturam: & ideo remanet in eis assumptibilitas, & per consequens unio, sicut in corpore Christi remansit anima separata: unde & eis latria deberetur. Si autem separarentur aliquæ partes quæ non essent de veritate humanæ naturæ, non remaneret in eis ordo ad naturam humanam, cui principaliter assumptio debetur, & ideo non remaneret unio, nec debitum latriæ.

Ad quartum dicendum, quod sicut corpus remanet unitum post animam, quamvis mediante anima uniat, propter hoc quod remanet in corpore ordo ad animam; ita etiam remanet ordo in partibus ad totum, & propter hoc dissoluto toto adhuc remanent partes unitæ.

Ad quintum dicendum, quod quamvis partes sint priores toto, & causent totum, tamen aliquid est quod non convenit partibus nisi in ordine ad totum, sicut quod ordinatur in prædicamento: unde ratio ex falsis procedit.

## ARTICULUS II.

Utrum natura humana sit assumpta mediante gratia.

## III. P. quæst. vi. art. 6.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod natura humana assumpta sit mediante gratia. Sicut enim dicit Augustinus in XIII. de Trinitate (cap. xxix. & Lib. de Civ. Dei cap. xxix. & in Joan. tract. lxxxii. prop. fin.) in rebus per tempus exortis summa gratia est quod Deus in unitate personæ homini nullis meritis præcedentibus copulatur. Sed in his quæ fiunt per gratiam, gratia medium cadit. Ergo natura humana unitur Divinitati mediante gratia.

2. Præterea. Major est unio in persona quam unio animæ bearæ ad Deum per fruitionem. Sed anima non potest uniri Deo per modum fruitionis nisi mediante gratia. Ergo nec natura humana potest assumi in unitatem divinæ personæ nisi mediante gratia.

3. Præterea. In illud quod facultatem naturæ excedit, natura non potest pervenire nisi mediante gratia. Sed assumi in unitatem divinæ personæ est maxime excedens facultatem naturæ. Ergo in hoc natura non potest pervenire, nisi per gratiam eleveatur; & sic idem quod prius.

Sed contra. Corpus humanum non est susceptibile gratiæ, & tamen assumptum est sicut & anima. Ergo assumptio humanæ naturæ non est facta mediante gratia.

Præterea. In his quæ miraculose fiunt, non requiritur aliquod medium disponens. Sed assumptio humanæ naturæ miraculose est facta. Ergo non oportuit quod esset ibi gratia aliqua, quasi disponens humanam naturam in unionem.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod Filius Dei carnem assumpsit mediante Spiritu Sancto. Verbum enim creatum non unitur voci, nisi mediante spiritu. Sed sicut verbum mentis humanæ unitur voci, ita Ver-

D2

bum

bum Divinum unitur carni, ut dicit Augustinus (Lib. XV. de Trinit. cap. XI.) Ergo illa unio facta est mediante Spiritu Sancto.

2. Præterea. In omni conjunctione quæ fit per gratuitam voluntatem, amor medium cadit. Sed unio Filii Dei ad humanam naturam est huiusmodi. Ergo in ea Spiritus Sanctus, qui est amor, medium est.

3. Præterea. Secundum Augustinum, & Hilarium inter tres personas Spiritus Sanctus est nobis propinquior. Sed id quod alicui magis propinquat, est medium quo magis distanti unitur. Ergo Spiritus Sanctus est medium quo unitur humana natura divina.

Sed contra. Medium magis unitur utrique extremorum quam extrema ad invicem. Sed Spiritus Sanctus non unitur humanitati in persona. Ergo non est medium unionis.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod nec unio cadat medium inter humanam naturam & divinam. Nullum enim accidens cadit medium in aliqua substantiali unione. Sed unio, cum sit relatio, accidens quoddam est. Ergo cum unio Divinitatis ad humanitatem non sit accidentaliter, sed in substantia, quæ hypostasis dicitur, videtur quod in illa unione medium cadere non possit.

2. Præterea. Si unio illa, res aliqua est, aut est æterna, aut temporalis. Si æterna, cum compositionem non sit intelligere sine componentibus, ut dicit Philosophus (Lib. VI. Top. cap. VI.) oportet quod homo ab æterno Deo unitus fuisset. Si temporalis, cum unio sit in utroque extremorum, videtur quod aliquod temporale in Deo sit: quod est impossibile. Ergo unio non est aliqua res cadens medium inter humanam naturam & divinam.

3. Præterea. Si sit temporalis, cum omnia temporalia præcesserint in operibus sex dierum, oportet quod & unio ista in operibus illis præcesserit, quod non videtur. Ergo unio non est aliqua res temporalis quæ medium inter Divinitatem & humanitatem cadere possit.

Sed contra. Relatio cadit medium inter extrema. Sed unio relatio quædam est, qua humanitas, & Divinitas uniri dicuntur. Ergo mediante unione, humana natura divina unita est.

### SOLUTIO I.

Respondeo. Supposita distinctione in prædicto articulo præmissa, sciendum est, quod in unione humanæ naturæ ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans: quæ per prius humana natura conjugatur quam Divina personæ: sicut enim inter materiam & formam nihil cadit medium in esse quod per prius sit in materia quam forma substantialis; alias esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile: ita etiam inter naturam, & suppositum non potest aliquid dicto modo medium cadere, cum utraque conjunctio sit ad esse substantiale. Sed sicut adventum formæ in materiam præcedunt ordine fieri disponentia formaliter, & materialiter, quibus materia redditur idonea ad susceptionem formæ: ita etiam in humana natura inveniuntur quedam superaddita, quibus redditur deus ut assumatur à divina persona, ut scientiæ, & virtutes, & huiusmodi: unde ista possunt quodam modo dici medium congruentia.

Ad primam ergo quæstionem dicendum, quod si-

cut in II. Sentent. xxvi. dist. Magister dicit, gratia dupliciter dicitur: uno modo ipse Deus gratis dans, vel gratuita voluntas ejus; alio modo donum aliquod gratis datum. Primo ergo modo accipiendo gratiam, gratia est medium unionis quasi unionem efficaciter causans: quia gratuita sua voluntate sine meritis præcedentibus carnem assumpsit. Secundo modo accipiendo gratiam, non cadit ibi aliquod medium habituale donum, sicut unionem, vel unibilitatem formaliter causans; sed solum est simul sicut medium congruitatis, sicut etiam scientia, & perfectio corporis, & huiusmodi, quæ decuit naturæ assumptæ non deesse. Nisi forte gratia ipsa unio dicatur, quæ est quoddam donum gratiæ gratis datum: quæ quomodo sit medium, post dicetur.

Ad primam ergo dicendum, quod, sicut ipsemet se exponit, assumptio illa ad maximam gratiam pertinet; quia tam maximum donum collatum est homini ut esset Filius Dei nullis præcedentibus meritis. Unde gratia divina ibi significat voluntatem divinam, unionem gratis facientem, & non habitum aliquem, quo interveniente unio completa sit.

Ad secundam dicendum, quod fruitio operationem quamdam dicit: unde per fruitioem anima unitur Deo, sicut operans operationis objecto. Hoc autem ad rationem perfectæ operationis pertinet ut à potentia mediante habitu eliciatur; & ideo oportet quod unio fruitioem mediante habitu gratuito fiat: Unio autem in persona est ad unum esse personale; habitus autem non potest esse principium personæ subsistentis, sed est ad esse consequens: & ideo gratia non est medium in unione personali, sicut unionem formaliter causans.

Ad tertium dicendum, quod quamvis assumi in unitatem divinæ personæ sit supra facultatem humanæ naturæ, non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam elevans ad talem assumptionem: tum quia quocumque addito, talis natura à persona divina in infinitum distaret: tum quia cum assumi per se naturæ conveniat; omnia autem accidentia præter rationem naturæ sint; ideo non poterit humana natura secundum id quod assumptibilis est elevari per aliquod accidens additum ad hoc ut assumptibilior fiat; sed ad hoc quod assumatur, exigitur benignitas divina humanam naturam ad tantam dignitatem gratis elevans.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod Spiritus Sanctus non potest dici in illa unione medium, nisi sicut unionem effective causans: quæ quantvis effectus totius Trinitatis sit, tamen Spiritui Sancto appropriatur, ut infra dicetur dist. IV. (quæst. I. art. 2. quæstiuncul. I.)

Ad primam ergo dicendum, quod etiam verbum creatum voci non unitur mediante spiritu, nisi sicut per medium effectivum unionis: quia, sicut dicit Philosophus in II. de Anima (text. xc.) percussio respirati aeris ad arteriam est causa vocis: & per hunc etiam modum Spiritui Sancto appropriatur efficiencia carnis, cui Verbum increatum unitur.

Ad secundam dicendum, quod ea quæ per voluntatem fiunt, etiam mediante amore fiunt, sicut efficiente causa; & sic etiam est in prædicta unione.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus Sanctus etiam dicitur propinquior nobis, in quantum per ipsum omnia dona nobis donantur, ut in I. Lib. dist. xviii. dictum est; & sic in idem redit cum præ-

SO-

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum est, quod inter humanam naturam & divinam necesse est cadere unionem mediam, non sicut causam, sed sicut effectum conjunctionem naturarum consequentem. Est enim natura relationis ut in aliis rerum generibus causam habeant, quia minimum habet de natura entis, ut Commentator XI. Metaph. (text. x.) dicit. Unde quamvis relatio per se non terminet motum, quia in ad aliquid non est motus, ut probatur in V. Physic. (text. x.) tamen ex hoc quod motus per se terminatur ad aliquid ens, de necessitate consequitur relatio aliqua, sicut ex hoc quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba; similiter etiam ex hoc quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur hæc relatio secundum quam materia sub forma esse dicitur: ita etiam ex hoc quod motus assumptionis humanæ naturæ terminatur ad personam, consequitur hæc relatio quæ dicitur unio: unde unio est medium non sicut assumptionem causans, sed potius sicut eam consequens, sicut etiam dictum est supra, quod aqua est medium in tactu ex hoc quod tangencia humectata sunt.

Ad primam ergo dicendum, quod nihil prohibet accidens esse medium in conjunctione substantiali, sicut conjunctionem sequens: impossibile est tamen ut sit medium conjunctionem causans.

Ad secundam dicendum, quod unio relatio quædam temporalis est: quæ quidem realiter est in ipsa natura assumpta, sed est in persona assumptæ secundum rationem tantum; sicut & de aliis relationibus ex tempore de Deo dictis, ut Dominus, & huiusmodi, in I. Lib. dist. xxx. dictum est. Et tamen sicut Dominus realiter dicitur Deus, non propter relationem dominii realiter in ipso existente, sed propter potestatem coercendi creaturam, ex qua talis relatio causatur; ita etiam dicitur realiter unitus, quia in eo realiter est personalitas, ad quam unio terminatur.

Ad tertium dicendum, quod unio illa processit in operibus sex dierum, non in ratione seminali, sed in potentia obedientiæ tantum; sicut in costa Adæ fuit ut ex ea Eva nasci posset.

### ARTICULUS III.

Utrum caro prius fuerit concepta quam assumpta.

#### III. P. quæst. VI. art. 3. & 4.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod caro prius fuerit concepta quam assumpta. Quod enim non est, non potest assumi. Sed caro per conceptionem efficitur ens. Caro ergo prius fuit concepta quam assumpta.

2. Præterea. Motus semper præcedit tempore terminum motus. Sed conceptio carnis terminata est ad unionem, sicut motus ad terminum. Ergo conceptio unionem præcessit.

Sed contra. Sola unione communicatio proprietatum efficitur, ut quod de homine dicitur, de Filio Dei dicatur. Sed concipi proprie carnis est. Si ergo conceptio carnis unionem præcederet, Filius Dei de virgine conceptus non esset; quod est contra symbolum. Ergo conceptio carnis unionem non præcessit.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod caro prius fuerit assumpta quam animata. Quod enim est primum in resolutione, est ultimum in compositione. Sed anima separata est à carne, adhuc manente unione carnis ad Divinitatem. Ergo caro prius est assumpta à Divinitate quam animaretur.

2. Præterea. Anima, cum sit forma, requirit propriam materiam, scilicet corpus organicum in quo sit. Hoc autem fit per conceptionem carnis. Ergo conceptio præcedit animationem. Sed conceptio carnis simul est cum ipsius assumptione, ut probatum est. Ergo caro prius fuit assumpta quam animata anima rationali.

Sed contra. Caro unitur Divinitati mediante anima, ut supra habitum est. Sed extremum non prius extremo conjungitur quam medio. Ergo caro non prius est Divinitati unita quam animata.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod anima sit prius assumpta quam corpori conjuncta. Extremum enim prius conjungitur medio quam alteri extremorum. Sed Divinitas unitur carni mediante anima. Ergo prius unitur animæ quam carni. Sed simul Divinitas, & anima carni uniantur. Ergo Divinitas prius unitur animæ quam carni.

2. Præterea. Persona Christi ex tribus substantiis componi dicitur, scilicet ex Divinitate, anima, & carne: quorum supremum est Deitas, & infimum est caro, anima autem est medium. Sed prius Divinitas fuit quam anima, & carni uniretur. Ergo si medium cum extremis communicat, videtur quod anima sit posterior Deitate, & prior carne. Sed simul anima creata est, & assumpta. Ergo anima prius est assumpta quam carni uniat.

Sed contra. Anima non est prius assumpta quam creata; nec creata quam corpori infusa: quia creando corpori infunditur, & infundendo creatur. Ergo anima non est prius assumpta quam carni unita.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod nulla natura habet esse, nisi in supposito suo: non enim humanitas potest esse nisi in homine; unde quicquid est in genere substantiæ per se existens, rationem hypostasis habet, vel suppositi: & quia unio Divinitatis, & humanitatis fit in hypostasi, ut dicit Damascenus (Lib. III. de Fid. orth. cap. XI.) ideo non potest esse ut quod assumptum est, prius fuerit quam assumptum: nisi forte poneretur quod assumptio rationem hypostasis rei assumptæ tolleretur, quod est inconveniens: hoc enim sine corruptione assumpti accidere non posset. Et ideo nullum horum trium est possibile: scilicet nec ut caro concepta prius fuerit, & postmodum assumpta; nec ut anima prius creata, & postmodum assumpta; neque ut homo prius ex suis partibus constitutus sit, & postmodum assumptus. Sicut autem ex dictis patet, corpus assumptibilitatem habet ab anima; similiter etiam partes essentielles assumptibilitatem habent ex ratione, cuius sunt partes naturæ. Unde etiam utrumque horum est impossibile, ut scilicet anima prius sit creata, & assumpta, & postmodum corpori conjuncta; & etiam quod caro prius sit concepta, & assumpta, & post-

mo-

modum animæ unita: sed hæc quatuor necesse est simul fuisse, scilicet conceptionem carnis, creationem animæ, conjunctionem utriusque, & unionem ad Deitatem.

Unde patet responsio ad primam quæstionem: non enim fuit possibile quod caro prius fuerit concepta, & postmodum assumpta: quia si ante assumptionem concepta fuisset, propriam hypostasim habuisset: & tunc post assumptionem, vel mansisset illa hypostasis, & sic non potuisset fieri unio in hypostasi; vel non mansisset, & hoc sine corruptione carnis prius conceptæ accidere non posset: ratio enim hypostasis non est accidentaliter rei, ut re eadem numero manente, alia hypostasis esse possit.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis illud quod non est, non possit assumi, tamen possibile est ut in eodem instanti in quo esse habet, assumatur, ut sic esse rei assumptæ non præcedat assumptionem tempore, sed natura.

Ad secundum dicendum, quod quamvis motus secundum principium sui, vel medium, non possit esse simul cum eo ad quod motus terminatur, tamen ultimum motus potest esse simul cum eo; sicut alteratio terminatur ad generationem, ita quod in eodem instanti in quo alteratio terminatur, forma substantialis introducit: ita etiam in eodem instanti in quo conceptio terminatur, quando caro primo concepta est, tunc assumi potest. Et quia conceptio in instanti facta est, non differebat in ea primum medium, & terminus: & ideo simpliciter loquendo conceptio simul fuit cum assumptione.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem patet etiam responsio ex prædictis. Non enim est possibile ut caro prius assumpta sit, & postmodum animata propter duorum quia assumptibilitatem habet ab anima, quam sibi anima conferre non potest antequam ei uniat: rum etiam quia partes assumptibilitatem habent à toto, ut prius dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus assumptibile est, secundum quod ordinem habet ad animam, & ad totum; quem ordinem habere non potest, nisi postquam animæ unitum est, & actu pars humanæ naturæ effectum; & tamen separata anima, & dissoluta toto, adhuc remanet ille ordo in corpore secundum spem resurrectionis; sicut & habitus acquisitus, ut virtus politica, causatur per actualem operationem, & tamen transeunte actuali operatione remanet habitus. Unde patet quod corpus non potest assumi antequam animæ uniat; & tamen si anima separaretur post unionem, remaneret caro nihilominus assumpta, & Divinitati unita.

Ad secundum dicendum, quod forma præsupponit materiam propriam, & dispositam, non ordine temporis, sed ordine naturæ: quia in eodem instanti in quo materia fit necessitas, id est in ultimo instanti dispositionis, inducitur forma substantialis: & ideo non oportet quod prius tempore caro sit concepta quam anima uniat.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem patet responsio ex prædictis. Non enim potuit anima prius assumi, quam carni uniretur, cum assumptibilis sit per hoc quod est pars humanæ naturæ.

(1) *Al.* compositionem corporis.

Ad primum ergo dicendum, quod extremum non semper prius tempore conjungitur medio quam alteri extremorum: simul enim tempore aer paritur à colore, & visus; sed tamen aer prius patitur ordine naturæ, quia passio aeris causat passionem visus. Similiter etiam non est necessarium quod prius tempore Deitas sit unita animæ quam carni.

Ad secundum dicendum, quod anima quamvis sit dignior corpore, est tamen forma corporis. Formæ autem non est ut tempore materiam præcedat, sed dignitate tantum. Divinitas autem non unitur humanæ naturæ ut forma. Unde non est similis ratio utrobique.

## EXPOSITIO TEXTUS.

Quod autem humanæ naturæ sive humanitatis, vocabulo anima, & caro intelligi debeant, aperte docet Hieronymus. Non est intelligendum per humanitatem animam, & corpus, quasi proprie dici possit, humanitas est anima, & corpus; sed sicut in toto intelliguntur partes, ut in domo paries, & tectum, quæ tamen de toto non prædicantur: unde etiam in auctoritate beati Hieronymi (Pelagii) subditur: *Humanitas, quæ ex anima continetur, & corpore*: non dicit; *Quæ est anima, & corpus.*

*Errant ergo qui nomine humanitatis non substantiam, sed proprietatem quamdam à qua homo nominatur, significari contendunt.* Per hanc proprietatem, quæ ab eis humanitas dicitur, potest intelligi forma consequens partium (1) compositionem, scilicet corporis, & animæ, in qua sicut in natura communi omnia individua communicant. Forte enim qui hoc posuerunt, sapiebant opinionem Platonis, qui posuit formas universales in actu habere esse in natura præter materiam. Sic enim secundum eum, ut Philosophus in I. Metaph. (text. vi.) dicit, forma hominis erat sine carnibus, & ossibus, & sine aliis partibus ejus: & talem humanitatem sine corpore, & anima isti assumptam ponebant: & contra tales Damascenus dicit in III. Lib. cap. xi. *Neque eam quæ nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit: non enim incarnatio esset, sed deceptio & fictio incarnationis.* Vel tangit, ut quidam dicunt, opinionem eorum qui dicebant, Christum, secundum quod est homo, non esse quid, sed qualiter se habens, quod infra rangeatur dist. vi.

Quod evidenter idem Joannes ostendit. Sciendum, quod Magister accipit verba Joannis Damasceni, sed non sensum. Inducit enim Damascenus hæc verba ad confutandum errorem eorum qui dicebant in Christo unam tantum naturam esse, quasi confectam ex Divinitate, & humanitate, sicut una quædam natura conficitur ex anima, & corpore; quæ signatur cum dicitur omnes homines esse ejusdem naturæ; non ita quod in quolibet eorum anima, & corpus sint unius naturæ ad invicem comparata, sed quia ex his duobus una natura conficitur, in qua omnes conveniunt. Sed non ita est in Christo quod ex humanitate, & Divinitate una communis natura resultet, quæ sit quasi communis species de pluribus prædicata, qui Divinitatem, & humanitatem simul habeant. Magister autem assumit hæc verba ad impugnandum positionem eorum qui proprietatem quæ humanitas dicitur, assumptam dicebant. Humanitas enim si consideretur ut communis, species est quæ in pluribus invenitur; secundum quem modum

omnium hominum dicitur una natura. Sic autem communis species humanitatis in Christo non est: non enim humanitas Christi est communis in actu, sed est humanitas singularis.

*Neque enim factus est, nec est, nec aliquando fiet alius.* Videtur quod hæc probatio nulla sit: multæ enim species sunt quæ non nisi de uno individuo prædicantur, ut sol, & luna. Sed dicendum ad hoc quod secundum intentionem Magistri facile est respondere. Omnis enim species quæ participatur à multis individuis, prædicatur de omnibus eis: unde si species humana, prout est communis, esset quid subsistens præter singularia, ipsa de omnibus prædicaretur: unde si talem humanitatem Christus assumpsisset, homo qui est Christus, de omnibus hominibus prædicaretur. Secundum intentionem vero Damasceni aliter est dicendum, quod omnis natura communis in quantum hujusmodi, in multis inveniri potest. Sed si aliqua species sit quæ in uno tantum est individuo, hoc est propter aliquid aliud, quod non est de intellectu illius naturæ: unde possibile est intelligere plures soles. Sed singulare habet incomunicabilitatem per id quod est de ratione ejus, scilicet per materiam, quæ esset pars diffinitionis ejus, si diffiniretur, ut ex VIII. Metaph. (text. vi. vii. viii. ix.) patet. Unde non est possibile intelligi hunc hominem de pluribus prædicari. Unde

patet quod illud quod nec actu, nec intellectu de pluribus dici potest, est singulare. Hujusmodi autem est Christus: quare hoc nomen *Christus* non significat unam naturam communem resultantem ex unionem Divinitatis, & humanitatis, sed unam hypostasim subsistentem in utraque natura.

*Omnia quæ in nostra natura plantavit Deus, Verbum assumpsit.* Intelligendum est de his quæ sunt de ratione humanæ naturæ sicut principia essentialia ipsius, vel etiam ea quæ ex principis essentialibus consequuntur, ut naturales proprietates: unde non est instantia de immortalitate, quæ gratis primo homini concessa est.

*Et tamen prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes facies, & sordes corporum spargere, & eos mundos, & sinceros servare.* Responsio quare sol non inficitur ex hoc quod radios suos per facies spargit hæc est: quia non communicat cum aliis corporibus in materia, ut simul agens patiatur, sicut ea quæ in materia communicant, dum agunt, patiuntur, ut in I. de gener. (text. xlvi.) dicitur. Anima autem communicat corpori in materia, non ex qua fit anima, sed in qua fit; & ideo ex conjunctione ad corpus inficitur. Divinitas autem non communicat cum corpore neque in materia ex qua, cum omnino sit immaterialis, neque sicut materia in qua, cum non uniat corpori sicut forma ejus.

## DISTINCTIO II.

*De carne quam Verbum assumpsit, quæ alis ante fuerit, & qualis assumpta sit.*

Quæritur etiam de carne Verbi, an prius quam conciperetur, obligata fuerit peccato; & an talis fuerit assumpta à Verbo. Sane dici potest, & credi oportet juxta sanctorum attestacionis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro; sed Spiritus Sancti operatione ita mundata ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo; poena tamen, non necessitate, sed voluntate assumptis, remanente. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam (1) superveniens à peccato prorsus purgavit, & à fomite peccati etiam liberavit; vel fomitem ipsum penitus evacuando, ut quibusdam placeret, vel sic debilitando, & extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit. Potentiam quoque generandi absque viri semine virgini præparavit. Ita enim verba Evangelii docent, ubi Angelus Virginem alloquens, ait (Luc. 1. 35.) „ Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; „ & quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Cui sacra Virgo respondit: „ Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Quod exponens Joannes (2) ait: „ Post consensum autem sanctæ Virginis, Spiritus Sanctus (3) supervenit in ipsam secundum verbum Domini quod Angelus dixit, „ xit, purgans ipsam, & potentiam Deitatis Verbi receptivam (4) præparans simul, & generativam: & tunc obumbravit ipsam Dei altissimi (5) per se sapientia, & virtus existens, id est Filius Dei Patris honorabilis, id est; consubstantialis (6), sicut divinum semen, & copulavit sibi ipsi ex sanctissimis, & purissimis ipsius Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectiva, (7) primitias nostræ conspersionis non seminans, sed per Spiritum creans. Quare simul caro, simul Dei caro, simul caro animata, anima rationali, & intellectiva; simul Dei Verbi caro, animata anima rationali, & intellectiva. Ex his perspicuum fit quod ante diximus, carnem scilicet Verbi simul conceptam, & assumptam; eandemque immo Virginem totam Spiritu Sancto præveniente ab omni labe peccati castificatam: cui collata est potentia novo more generandi, ut sine coitu viri, sine libidine concipientis, in utero Virginis celebraretur conceptus Dei & hominis: illa enim caro quam Deus sibi ex Virgine unire dignatus est, sine vitio concepta, & sine peccato nata est. Hanc tamen carnem non celestis, non aeræ, non alterius cuiuscumque putet esse naturæ; sed ejus cujus est omnium hominum caro. (7)

*Auctoritate confirmat ex tunc fuisse Virginem immunem à peccato.*

Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis extiterit, Augustinus evidenter ostendit in Libro de natura & gratia (cap. xxxvi.) inquit: „ Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem

(1) *Al.* præveniens. (2) *Al.* prævenit. (3) *Nicolai*, præbens. (4) *Idem*: per se subsistens Dei sapientia & virtus, id est &c. (5) *Idem addit Patri.* (6) *Ita ex Damasceno restituit Nicolai: al.* nostræ antiquæ conspersionis &c. (7) *Addit Nicolai: (Ut Fulgentius ait Lib. de Fide ad Petrum cap. 11. circa medium.)*

Ex Edit. P. Nicol. (a) Damascenus Lib. III. cap. 11.